



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

DODECAS
QUÆSTIONUM
MISCELLANEARUM,

QUAM

Τὸς Θεῶν Σωφροσύνης

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI ACUTISSIMIQUE VIRI,

DN. SAMUELIS ANDREÆ,
IN ILLUSTRIS CELSISSIMORUM
NASSOVIÆ PRINCIPUM ATHENÆO HERBORNENSE
Historiarum & Linguae Græcæ Professoris Ordinarii
ac Pædagogarchæ, Præceptoris sui summâ
observantiâ colendi,

*Publicè studiosorum censura subjectam pro
viribus defendet*

JOHANNES JODOCUS WEIDENBACHIUS,
HERBORNÆ-NASSOVIUS,
Author & Resp.

Ad diem 3. Novembris loco horisque consuëtis.



HERBORNÆ NASSOVIORUM. 1666.





CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. ADOLPHO

D. G.

NASSOVIAE PRINCIPI,
COMITI CATTIMELIBOCI,
VIANDÆ, DECIAE, DYNASTÆ
BELLSTEINI, SCHAUMBURGI, LAU-
RENBURGI ET LILSDOREII
&c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*Hæcce quæcumq; studiorum meorum
primordia devotè consecro,*

CELS. SUAM

debitâ subjectione humilimè colens

JOHANNES JODOCUS WEIDENBACHIUS,
Philolog. & S.S. Theol. Stud. Herb.
Nassovius, Author & Resp.



D O D E C A S
Q V Æ S T I O N V M
M I S C E L L A N E A R U M

Q V Æ S T I O I.

An Princeps legibus sit solutus?



D hujus quæstionis decisionem notentur sequentes distinctiones.

1. Princeps consideratur vel communiter vel in specie. Communiter, in quantum est homo & Christianus; in specie, quâ Princeps.
2. Lex est vel divina, vel civilis.
3. Legis vis est directiva, vel coërcitiva.
4. Principis potestas alia est in secularibus, alia in spiritualibus.

Præmissis hisce respondemus, Principem, quâ hominem, non esse solutum lege naturali; quâ Christianum, non esse solutum lege divinâ, in scripturis revelatâ; sed legibus civilibus tantum. Præter hæc notetur, legem in Politicis considerari dupliciter; primò ut regulam justitiæ & normam Principis; interdum verò ut instrumentum, quo utitur Princeps ad subditos regendos. Priori respectu, nempe cum lex consideratur, ut regula justitiæ, Princeps legi subjectus esse debet, non minùs quàm ipsi virtuti: quia omnis homo per naturæ corruptionem, legibus eget à quibus regatur: Quatenus verò lex consideratur, non ut est norma justitiæ, sed tantum, ut medium & causa instrumentalis Principi ad regendam rempublicam subserviens, eatenus

41

Princeps non est subjectus legibus, sed causa principalis, cui leges tanquam, instrumentales subserviunt, & quas semper, prout necessitas & salutis publicæ ratio postulat, vel mutare, vel tollere potest, salvis perpetuò fundamentalibus, utpote quibus motis aut sublatis, totum Reip. ædificium, si non corruiat penitus, saltem gravissimè cõcutitur.

QUÆSTIO II.

An fortitudo sit præstantior iustitiâ? N.

Negantem tuemur sententiam ob sequentes rationes.

1. Quia sine fortitudine possumus esse, sed non sine iustitia. E. iustitia est præstantior fortitudine, juxta illud Agesilai:

Si omnes essent iusti, non opus esset fortitudine.

2. Quia iustitia est absolutè necessaria, sed fortitudo secundum quid. E. iustitia denuò fortitudine præstantior.

3. Quia fortitudo unica saltem virtus est; Iustitia verò omnes alias complectitur, hinc merito fortitudine præstantior censetur.

Quò spectat id quod Aristoteles ex Theognide l. 5. Ethic. c. 3. refert:

Ἐν τῷ δικαιοσύνῃ συλλήβδω πάντ' ἀρετῆν εἶσι.

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

QUÆSTIO III.

An duella sint licita?

Ea olim inter Ethnicos pariter ac Christianos ad ostentationem fortitudinis frequentissima fuerunt, uti innumera Historiarum exempla testantur. Quin eo usque obtinuerunt, ut in probationibus rei absque testibus gestæ haberent locum, de quo inter alios D. Guido Papa in Decis. Gratianop. Quæst. 617. & seqq. Ubi fusè docet, quo casu duellum ad finiendam litem concessum fuerit, ac procedendi modum describit. Imò Frontonem, Daniæ Regem, legem tulisse ferunt, ut omnes controversiæ, qualescunque eæ essent, duello defini- rentur. Vid. *Camerar. Oper. subcis. Cent. 2. cap. 19.* Unde postmodum duella eatenus invaluerunt, ut id frequèntissimum honoris certamen, in Gallia potissimum, fuerit, atque iteratis toties Pontificum decre- tis & gravissimis Principum edictis vix potuerit tolli. Certum tamen, quemadmodum sæpissimè *duelli* nomine *bellum* intelligitur, ut cum

Cic.

Cic. lib. 3. de Legibus: *Duella justa justè gerunt*: sic etiam omnem illius
usum extra bellum illicitum & temerarium esse, ob sequentes rationes.

1. Quia qui ad duellum provocant, nec rectam rationem, nec leges publicas, nec magistratum sequuntur; sed stultitiam suam, inanis gloriæ cupiditatem, hortatusque sodalitorum pravorum.

2. Quia pericula adeunt non necessaria, in animum corpusque suum injurii.

3. Ne minimam quidem honestatis rationem habent, sed aliorum sanguine manus suas eruantantes, suis tantum indulgent affectibus.

4. Rei legibus divinis & humanis contrariæ dant operam, mortisque reatum exinde sibi contrahunt.

Insuper notandum etiam est, duella interdum privato licita esse, cum præter jus & fas ipsi vis intentatur, quam avertere aliter nequit, nisi per defensionem, quâ vim vi repellere licet, quod tamen duellum improprie dixeris. Et plerumque etiam provocatorem à provocato vinci, uti David vicit Goliathum, Manlius Torquatus Gallum, experientia testatur.

QUÆSTIO IV.

An autem τοῦτο εἶναι sint fortes dicendi? N.

Negantem rursus tæmur sententiam idque probamus sequentibus rationibus.

1. Quia sunt injurii in Deum, & naturæ pariter ac scripturæ legem, quæ omnes docet neminem propriam carnem odisse. Eph. 5. 29. Cum contra illi eandem videantur odio habere, qui quam in conservando corporis & animæ vinculo operam impendere deberent, dant in eodem dissolvendo.

2. Quia sunt injurii in Rempubl. privantes eam aliquo membro, cum ex sententia Scipionis aliorumque præstet unum servare civem, quam mille hostes perdere.

3. Quia sunt injurii in seipsos, dum se privant incomparabili & irrecuperabili thesauro, nempe vitâ, quam non habent in sua potestate ac proinde sunt homicidæ, nec in numerum virorum fortium scribendi.

4. Quia potius timidi, quam fortes sunt habendi, dum mortem

▲ 3

6

sibi consciscunt ex metu gravioris alicujus mali & doloris. Id quod exempla Abimelechi Jud. 9. Saulis I. Sam. 31. aliorumque abundè probant.

QUÆSTIO V.

An Choreæ sint licitæ? N.

De Choreis nota & in ore omnium trita est sententia Eloquentiæ patris in *Oratione pro Muræna*, cum inquit:

Nemo ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto.

Notum etiam est sapientioribus Ethnicis olim ejusmodi saltationes, stultas & lascivas visas esse. Unde Tiberius Imperator saltatores suâ ætate Româ expulit, & aquâ & igne illis interdixit.

Domitianus vi Rufum propter easdem è senatu movit, & dignitate senatoriâ privavit.

Quam in sententiam etiam sapientissimi quique concesserunt & salvâ castitate non licere choreas ducere senserunt. Mixtas præsertim ex utroque sexu, quia saltationes virorum cum mulieribus libidinis fomes sunt & incentivum, atque spectatoribus furibundorum speciem præbent.

QUÆSTIO VI.

An aliquis possit verum dicere & tamen mentiri?

Ad decisionem hujus quæstionis notandum est veritatem tripliciter sumi apud Philosophos.

1. Pro veritate Metaphysica, quæ est convenientia cujusvis rei cum conceptibus mentis divinæ, & secum ipsa, & hæc est illa veritas, quæ affectio Entis vocatur.

2. Pro veritate Logica, quæ est convenientia nostrarum cogitationum cum rebus ipsis. Ut quando quis cogitat terram quiescere, auti revera quiescit, verum cogitat veritate Logicâ. At cum è contra putat moveri, cogitat id quod logicè falsum est.

3. Pro veritate Ethica, quæ aliàs veracitas dicitur, & est convenientia

nientia

nientia cogitationum nostrarum cum verbis, gestibus & actionibus externis.

His præmissis respondemus:

Posse aliquem verum dicere Logicè, qui tamen mentiatur & verum non dicat Ethicè. Ut si quis v.g. malè edoctus & terram moveri putans, juxta hunc conceptum diceret, terram quiescere, is verum diceret Logicè, (quia ipsius sententia rei veritati conformis esset) & tamen mentiretur & verum non diceret Ethicè, quia aliter loqueretur, quàm sentiret & animo suo conciperet.

QUÆSTIO VII.

An salvâ temperantiâ liceat interesse convivii?

Antequam ad responsionem accedamus, conviviorum species sunt distinguendæ. Quædam enim frugalia sunt, quædam vero luxuriosa. Frugalia censentur, in quibus apponitur quantum sufficiens est ad honestatem fovendam, & lætitiâ moderatam excitandam, in quibus tenuè splendet salinum, ut fuerunt apud veteres mensæ Deorum, Socraticæ, Philosophicæ, Pythagoricæ. Seu frugalia sunt, ubi modus in edendo & bibendo, ut & temperantiâ observatur, atque secundum leges Ahasveri vivitur, de quibus Esther. 1. 8. Luxuriosa cõtra videntur, quæ luxûs & ostentationis gratia habentur, ac immoderato sumptu à privatis adornantur, qualia Sybaritica, Asiatica & cœnæ Apicianæ, gulæ irritamentis scatentes. Cujusmodi à Poëtis meritò exagitantur, uti fit ab Horat. lib. 2. Sat. 8. Juvenal. Sat. 4. & 8. aliisque.

Prioris generis convivia salvâ temperantiâ frequentare licet. Nam
1. Si licita est quædam corporis recreatio, & suavis amicorum conversatio, licitum est interesse convivii. Sed verum prius. E. & post. Majoris consequentia patet, quia recreatio justa est pars felicitatis. Minor. prob. exemplo ipsius Salvatoris nostri Christi, qui ad convivia invitatus, interesse iisdem non recusavit. Luc. 14. Joh. 2.

2. Omni conversationi honestæ per frugalitatem licet interesse. At convivium frugale est talis conversatio. E. eidem interesse licet.

QUÆSTIO VIII.

An salvâ sobrietate quis possit in alterius salutem bibere?

Non putamus in sobrietatem peccare eum, qui in alicujus salutem bibit, modò rectum teneat modum, mediocritatem observet, & non plus infundat in ventrem quàm aliàs licitum. Nam hoc modo in alterius salutem bibere licitum est, ut veluti manifesto lætitiæ signo testemur gratam nobis esse incolumitatem ejus, in cujus salutem bibimus, & de eodem nos lætari. Id enim non magis improbari potest, quàm si alio signo externo, meam de alterius incolumitate lætitiã, contestarer. Itaque notandum est, licere in alterius salutem bibere tanquam incolumitatis contestatione, non verò voto, quòd poculis eandem voveamus & precemur. Nam, non poculis, sed piis suspiriis & precibus, à Deo est impetranda & petenda incolumitas. Attendendum est etiam ad propinantis & reddentis intentionem. Quòd si enim intentio sit propinantis, sanitatis propinatæ poculis alios lædere & obruere ac de sano mentis statu deturbare: reddentis verò, non lætitiã de alterius salute contestari, sed voluntatem & nutum propinantis implere, & Baccho sese ingurgitare, negativam sententiam defendendam suscipimus, & tale quid per sobrietatem illicitum esse statuimus; cùm sacrarum literarum paginæ istam ubique bonorum divinitus datorum profusionem prohibeant, & sobrietatis studium omnibus prolixè commendent.

QUÆSTIO IX.

Quid sit Authepsa?

Apud Ciceronem in Orat. pro Sext. Roscio Amerino legitur. *Domus* (inquit) *refert a vasis Corinthiis & Deliacis: in quibus est authepsa illa, quæ dicitur id quod in urbe mercatus est, ut, qui pratereunt es pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* Græca vox nonnullis videtur orta & composita esse ex *αὐθής* & *ἐπέω* vel *ἐπέω* vel *ἐπέω* Atticè, h. e. iterum coquo, quòd sit vas quod apponitur mensæ ad rursus calefaciendum

9
ciendum cibum, eīne Feuerpfanne. Ita *Goelen. Probl. Grammat. lib. 5. c. 29.* Nec ferè aliter *Nizolius*, vas sc. esse ab $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$ & $\epsilon\psi\omega$, quod sua sponte coquat, suppositis in inferiore fundo (duos enim habuisse videtur) carbonibus accensis ibique conclusis. Cujusmodi est illud, quod in mensis passim patinis supponitur, ne cibi è jure refrigeretur. Quibus concinunt, quæ Eruditi in locum illum Ciceronis notant. *Barth. Latomus.* Authepſa vasis genus est, quod per se ipsum coquebat: unde & nomen inditum. Sic *Joh. Saxonius.* Authepſa ab $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$ & $\epsilon\psi\omega$, quod sua sponte coquat, impositis semel in inferiorem fundum (nam videtur habuisse duos) candentibus carbonibus ibique post sufflationem unà cum spiritu conclusis. Addit, tale quiddam de simili lebete, sive olla, sive vase Romæ viso, Lazarum Bonamicum, hunc locum Cic. exponentem, narrasse Patavii A. 1541. Nec abs re. Nam etiam *Julius Lactorius de Laurinis Tom. 1. Lucubrat. Tit. 3. c. 8. pag. 273.* inter varia vasa conclavi (ubi Pontifex eligendus) inferenda, recenset quoque *Adtepsam* seu focarium, cum sua craticula ferrea & furnulo pro calefaciendis ferculis.

QUÆSTIO X.

An mulieres ullatenus ad regimen & moderandas imperii habenas admitti queant?

Mulieri interdictum esse τὸ ἀνθελεῖν ἀνδρῶς Apostoli lex est 1. Tim. 2. 12. Quis ergo viris imperet, quæ viro nequit? Magnanimitas, animus imperterritus, nec secundis, nec adversis mobilis, fortitudo, prudentia, vigilantia summa, virtutes dominantium sunt, ad quas aditus mulieribus plerumque oclusus. Nam fortitudinem inesse ἀδυνατεῖν οὐδὲν τῶ γυναικείῳ (1. Pet. 3. 7.) quis dixerit? Prudentiam quis requirat ab illis, quæ nec linguæ imperare norunt, nec animo? Vigilantiæ memoria adsit oportet. At hæc aded in mulieribus rara est, ut exinde Hebræis חַיִל h. e. *obliviosa* dicantur. Unde videtur colligi posse, mulieres à temperandis gubernaculis planè excludendas. Ita quondam cautum *Lege Salicâ*, juxta quam *Lilia non nent*, &

B

10
communi consuetudine apud omnes gentes receptum, ut quoad vi-
rorum copia suppetit, fasces mulieri haud submitrantur.

Attamen cum tot Heroinæ, quorum præclara facinora annales
loquuntur, jam dudum hunc sexum à contemptu vindicarint, absit
ut omnem *γυναικοκρατίαν* & ubique improbemus. Semiramidis,
Deboræ & Zenobiæ virilis animus atque decantata Amazonum
virtus antiquis celebrantur. Britannis, uti jam olim solitum fæmina-
rum ductu bellare, teste *Tacito Annal. 14. c. 35.* sic & mulierum admittere
imperium. Hinc Mariam & Elizabetham sorores (uti quondam
Boudiceam) reginas successivè agnoverunt Angli, alteram Mariam
Scoti. Jactant Poloni Vandam, Ameliam Hassi, & ubique gentium
illustres fæminarum imagines conspiciuntur, quæ non absque laude
imperio præfuerunt. Ad quod easdem etiamnum admitti posse
censemus, si ad exemplum istius Elisabethæ, celebratissimæ Anglo-
rum Reginae, non mulierum cogant senatum, sed à latere perpetim
habeant, viros prudentiâ & rerum usu præstantes, atque eorundem
consiliis obtemperent, monitis regantur.

QUÆSTIO XI.

*Num verum, quòd inter pocula non sit
disputandum?*

Sententia notissima est & tanquam receptissima conviviorum lex
celebratur, ex quâ, imperitorum quorundam judicio, Musæ à mensis
exulare tenentur, atque Baccho & Cereri regnum in solidum relin-
quere. Eò tamen illam haud extendendam esse, ratio dicitur.
Quamvis enim à conviviis faceffere debeant morosæ de sublimibus
disceptationes, quæ & mentem à lætitiâ sevocant, & in lites plerum-
que desinunt, certum tamen quoque, moderatas de literis disquisi-
tiones non semper in conviviis intempestivas esse, modo sequentia
notentur, quæ *Macrobius* commendat *Saturnal. lib. 7. c. 1.* Nempe

I. Ut convivarum ratio habeatur, & eorundem ingenia æstimen-
tur, nec proferantur odiosa, aut nocitura, vel unico illorum. Uti
enim tota harmonia turbatur, si in instrumento Musico, vel unica
chorda.

chorda deficiat: sic in convivio eadem perit, ubi non omnes ad idem conspirant.

2. Ut utiles & faciles quæstiones producantur, non anxie & nodosæ, ac non nisi fronte caperata tractandæ. Tales sint, quæ hilaritatem excitent ac salibus suppeditent materiem, cujusmodi *Plutarchus* in *Symposiacis*, *Macrobius* in *Saturnaliis*, & *Erasmus* in convivio Poëtico ac fabuloso repræsentant.

3. Ut in disputando sit modus, nec res in contentionem abeat, adeoque absit metus natis in usum læritiæ scyphis Thracum more pugnandi. Unde consultū est, finem illis disquisitionibus imponere, quando Bacchus thyrsos quatere & mentem concutere aggreditur, ne Lapitharum more pugna cruenta det convivio colophonem.

4. Absit φιλονεικία & vincendi studium, nec quasi pro aris & fociis pugnetur.

5. Absint denique intempestivæ reprehensiones, & nimia docendi contentio. Aurea *Macrobii* obtineat regula. *Doctiores in consensum rudis consortii, salvâ & intra se quiescente veri notione, migrabunt, ut omnis discordia suspicio faceffat.*

QUÆSTIO XII.

*Utrum in urbe, an extra eandem sepulcra:
sint instituenda?*

Romani olim non solum de mortuorum corpora in cinerem re-
lacta in ædibus servabant, sed & campum Esquilinum, publicis se-
pulturis destinatum, in ipsâ urbe habebant. Sic etiam *Lycurgus* ci-
es in urbe sepeliri voluit, ut adolescentes assuescerent, mortem, ceu
em quotidianam, contemnere. At contra *Lege XII. Tabularum*
expressè id vetatur, *In urbe ne sepelito, neve urito.* *Cic. lib. 2. de Legibus*,
mutat propter ignis periculum ita statutum fuisse, atque dispensatum
a viris claris, *Publicolâ, Tuberto, Fabricio*, quibus virtutis causâ
concessum, ut in urbe sepelirentur. Sanè urnæ plerumque in agris
sefossæ; & *Calatinorum, Scipionum, Serviliorum, Metellorum* se-
pulchra extra portam *Capenam* fuisse, idem *Tullius* author est *Tuscul.*

lib. 1. Qui etiam Judæis mos fuit, uti solum exemplum adolescentis
Nainitici docet Luc. 7. 12. Fœtore enim cadaverum aërem in ur-
bibus non satis liberum infici, vix dubitandum videtur. Unde con-
cludimus, rectius extra urbem sepulchra frequentari, honoris
amen causâ, nonnullis etiam in urbe locum concedi posse.

Ornatissimo nec non Doctissimo

DOMINO RESPONDENTI,
Ingenii dexteritate, virtute ac pietate conspicuo,
Amico suo charissimo.

Ingenium solers, virtus, morumque venustas,
Quàm bene conveniant tibi, tunc haurire licebat
Cum nuper scandens cathedram, sermone polito
Monstrares, quod sæpè ruat respublica nutans.
Hunc ornat specimen præsens differere docti,
Ex quo quid deceat, quid turpe, quid utile, quid non,
Quisque videre potest, meritò laudanda videntur.
Audaçter pergas; nam sic ad Apollinis arcem
Te WEIDENBACHI certent deducere Musæ,
Atque Deus studiis cœptis feliciter adsit!

Ἐἰς φίλιās τεκμήριον

hæc paucula adjicere voluit

JOHANNES CELLARIUS
SS. Theol. Studiosus.

F I N I S.

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

mit V 17







29.

NUM
RUM,

VE VIRI,

NDREÆ,
SIMORUM
HERBORNENSE
fforis Ordinarii
sui summâ

ectam pro

DENBACHIUS,
us,

sque consuētis.

ORUM. 1666.

